QUÆSTIO MEDICA.

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda in Scholis Medicorum, die Martis vigesimâ-octavâ Februarii.

M. FRANCISCO VEZOU, Doctore Medico, Præside.

An vires consociare amant opium & China China?

I.

VITA hominis à calore, calor à motu, calor, motus & fermentatio reciprocantur. Ex felici elementorum discordia, felix fermentationis opus, hæc est motus intrinsecus partium activarum mixti; fermentationi suum debent ortum, incrementum, conservationem & perfectionem vegetantia, ut & animantia. Qui fermentationem, aut febrem putredini jungit, tigres jungit agnis, ubi incipit putredo desinit fermentatio; fermentationem inter & effervescentiam nihil discriminis comperies, nisi ludere in verbis sit animus; fermentatio à fermentis; fermentorum omnia plena; sua sunt rosis & pomis: si bene calculum ponas, nullam vim activam in fermentis invenies; Dum hæc servant naturæ leges, constans est & perpetua functionum integritas, si anomala, morborum nascitur ilias: horum medicina vindex, triplici utitur instrumento, diætâ, legitimum usum rerum non naturalium præscribit, chirurgiâ, manu medetur, pharmaciâ, fœcunda remediorum segete locuples, parabiles medicamentorum divitias subministrat, quorum alia simplicia, alia composita, illa propriis viribus agunt, hæc similitudine substantiæ & virtute consociali præstantiorem ferunt opem.

II.

MORBI oriuntur ab aëre aut ab alimentis: non facile dictu quot ex his fontibus derivatæ clades; fatalis spirandi necessitas eo majorem inurit visceribus labem, quo magis ineluctabilis; spectes aëris inclementiam, tempestatum vicissitudinem, locorum, & regionum varios soles, & cum male sanis consortia, fateberis vitales quas Carpimus auras mille modis inquinari; quid plura, aër est primum vitæ pabulum, & primum movens, nec secus ac moletrina aventis aut à fluvio, sic Corpus movetur ab aëre vim suam elasticam sanguini & humoribus ministrante;

Procul hinc novatores, qui machinæ authomatiam, aut proprium motum aſſignant. Ab alimentis non minor noxa, plures occidit gula quam gladius. Alimenta ſunt vel pravi ſucci, inde nutritiones pravæ, Cachexiæ parentes, vel ſucco uberiori turgent, & oneri ſunt naturæ, ab his plethoricæ Conſtitutiones, habitus athletici periculo pleni, quicquid enim ad ſummum pervenit, properat ad exitum. Nemo neſcit, quanta nocumenta ferant edulia varia hiſce præſertim temporibus, quibus non vivitur dapibus inemptis, ſed ſimul aſſis miſcentur elixa, ſimul conchilia turdis. Ab inſana comeſſandi libidine, præceps ſenectus, indomitæque mortes; ſed his medicina cœlo delapſa moras innectere docet. Priſcis ſæculis victus erat ſimplex, ideo medicina ſimplex & fere tota herbarum potentiæ ſubjecta, ſuæ vires erant cichorio & lactucæ, ſalvia erat ſalvatrix, morborum Conciliatrix, dicebat borrago gaudia ſemper ago, ſed quia ætas parentum pejor avis tulit nos nequiores; glande non contenti, curios ſimulantes bacchanalia vivimus, intricatiores fuere morborum cauſæ; medicina, herbis non neglectis, alia quæſivit remedia, ab Ibi & hyppopotamo edocta, venæ ſectionem & purgationem inſtituit; In dies vero gliſcentibus malis, medicamentorum vires ſcrutando, alia aliis prudenter ſociavit, caſſiam cum manna elixavit, ut caſſiæ ſtimuli, mannæ dulcedine ineſcarentur, flatulentam ſennam cinnamomo caſtigavit, confectiones compoſuit purgantes & alterantes, antidota præparavit, opium chinæ chinæ connubio junxit ſtabili, ea lege, ut opium quibus inſignitur dotibus, volatilitate, amaritudine oleoſitate &c. vires corticis peruviani augens, acida febrium fermenta obtunderet, & compoſitis motibus domeſticis, febrium ſymptomatis & ipſis febribus placidam afferret medelam.

III.

OMNEM medelam ordiri ab amuletis, magnetiſmis, imo à ſpecificis opio & china china, agirtarum eſt, ſapientis Medici, naturæ motus auſcultare, morborum arcana Sagaci indagare animo, à juvantibus & lædentibus ſumere indicationes, neque ullas moliri curationes, omiſſis univerſalibus præſidiis, venæ ſectione & purgatione. Sanguini in vaſis luxurianti, aut ſtabulanti debetur venæſectio, hæc eſt plethora, huic ſoli convenit hoc præſtantiſſimum remedium, purgatio cacochymiæ medetur, hic ſollicitas age excubias, ne inter moras effluat occaſio, turgentes humores expurgandi, ſæpè enim turgent, his in oris ubi parum ſudatur, & genialiter vivitur. Sobrietas gallorum gula eſt græcorum, ideo nos urget purgandi neceſſitas, neque te teneant fictitiæ qualitates irritantes & malignæ. Verum non omnes morbi hiſce præſidiis cedunt, febres pertinaces puta, quarum parentes impuri ſucci, & acida fermenta, inde ſanguis valde depauperatus: venæſectio ſanguinem pauperiorem reddit, purgatio domeſticos lares turbat, intrudit ſuccos malè moratos in ſanguinis maſſam; Has ſanare cupidus, in operis ſocietatem accerſat opium & corticem, peruvianum, inter ſe longum & durabile fœdus inierunt; ſunt enim congeneris ſubſtantiæ, cortex amaritudine pollet, abundat reſina, opium eſt amarum, reſinoſum, ſale viget volatili, hac parte palmarium eſt, in

tenui labor, ſed tenuis non gloria: pars opii volatilis, tardiori reſinæ corticis febrifugi ſociata, miram conciliat humoribus tranquillitatem, tardiores ſanguinis motus facilè ciet, longas alveorum & alveolorum ambages, viaſque perluſtrans, dulci diaphoreſi materiam febrilem expellit, & craſim ſanguineæ maſſæ reſtituit.

IV.

IN America Peruviana reperitur arbor, incolæ *Gannaperide* vocant, vulgò China China, hæc non eſt procera, ſed in ramulos inſigniter divaricata, folia habet inſtar prunorum, floribus albis & cæruleis ornatur, nullum fructum parit, quaſi in pompam unicè cum tanta florum copia nata fuiſſet: cortex compenſat fructus, eſt enim ſumme febrifugus, in ſanitatem gentium à D. O. M. conditus, unde arbor vitæ ſi quæ alia, jure merito dici poteſt. Ex hac arbore exudat reſina, & prodeunt ſemina, quæ etiam vim febrifugam habent; ceteræ arboris partes, tamquam inferioris energiæ parvi penduntur, ut ipſi cortici tota laus aſſignetur. Opium eſt ſuccus ſtillans è capitibus papaveris fere maturis, græce dicitur ὀπὸς ſuccus per excellentiam, abundat oleo, ſpiritu, & reſina, valde eſt inflammabile, odore grave, ſapore amarum, multis in locis naſcitur, melius in Ægypto; ſed heu non nobis ſtillat! ſolus mæconii conceditur uſus. Variæ fiunt opii præparationes, ſpiritu vini diſſolvuntur partes oleoſæ & ſpirituoſæ, aquâ, aqueæ & ſalinæ: opium ſoporem ſæpe inducit, interdum vetat, valde eſt diaphoreticum; his virtutibus pacatos regit humores, & cortici peruviano ſocium, vim ejus febrifugam mirum in modum juvat. Amara ſunt alia plurima febrifuga, quæ vi pollent exphraſticâ, abundant enim partibus alkalinis quibus obtundunt acidorum aculeos, unde febrium mala progenies, obtuſis acidis, anomalæ ceſſant fermentationes, & humores concreti liqueſcunt, partes ſanguinis ſpirituoſæ liberiorem habent expanſionem. Poſt fermentationem vinum amareſcit, acidis ſubactis; vis muſto ebullienti fræna dare, amarum injicito? ex tribu amarorum, Centaurium minus, Gentiana, Juniperus non mediocre ſymbolum cortici peruviano conferunt.

V.

BENE valere nihil melius, ſatis norunt qui non proſperæ ſunt valetudinis, perpetuò conqueruntur de ſortis humanæ ærumnis, quaſi neſcii, in eorum ſolatium creaſſe altiſſimum pharmaca terræ; felix qui eorum vires & morborum potuit cognoſcere cauſas; felix qui reconditas opii dotes propria detexit experientia, eaſque per analyſim nos docuit, non minus felix qui corticis peruviani virtutes innumeris demonſtravit experimentis, quæ deinceps ratio fœcundavit, mireris quam celeri greſſu, per omnes terraſque tractuſque maris iverit fama corticis ſaluberrimi; ſed mirabere magis, quantæ rixæ ſuper hoc debellatæ ſint, & quot convitiis, arbor omni invidia major, laceſſita, quaſi ex hac fabricatus equus trojanus flammas veſuvii æthnæque ignium æmulas, ad totius orbis conflagrationem evomeret, O Pudor! O gens imperita agyrtarum, probroſis altior medicinæ ruinis! An Medicinæ proceres præjudicio hypo-

rationibus: neque enim ſerum intimè unitur ſanguini, imo facilè ab eo ſecedit, ut patet ex illius vel unicâ miſſione & ſudoribus. Demum inſenſilis tranſpirationis defectus & præcipuè Renum obſtructio Aſcitem pariunt; forſan etiam infarctus pororum exteriorum veſicæ qui aquæ non aëri ſunt pervii, ut experientia teſtatur. Nulla igitur adhibenda fides Paracelſo & Helmontio. Ille Tartarum Aluminoſum per reſolutionem propriæ naturæ pro unicâ Hydropis causâ agnoſcit: hic Renum obſtructionem à ſanguine concreto, cui ideo per radicem Bryoniæ & Antimonium Diaphoreticum ſuccurrendum eſſe affirmat: viri in perſcrutandis ſalium, mineralium metallorumque arcanis virtutibus ſagaciſſimi, de partium corporis humani ſtructurâ, uſu & concordiâ, quæ ſunt ſecundæ & adverſæ valetudinis fundamenta, & de variis morborum cauſis diſcernendis, parum ſolliciti; quorum tamen cognitio maximè Medicum facit & rationalem ab empirico diſtinguit.

Lib. 2°. de Tartar. cap. VI. Tract. ignotus Hydrop. c. 16. & 20.

Non ergo ab Hepatis intemperie Aſcites.

Domini Doctores diſputaturi.

M. Joannes Daval.	*M. Joannes Boudin.*	*M. Claudius Guerin, rei herbariæ Profeſſor.*
M. Claudius Quiquebeuf.	*M. Guido Eraſmus Emmerez.*	*M. Carolus le Long.*
M. Bertinus-Simon Dieuxivoye.	*M. Michael de Hodencq.*	*M. Ludovicus Morin.*

Proponebat Pariſiis JOSEPHUS CHAMBON, Grignianus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1696.

Apud Franciſcum Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typographum.